

Quid agit magister?  
Magister docet. Num  
omnēs magistrī docent?  
Cērtē: nam is quī docet  
magister est.

Ego  
doceo.



LECTIO V:

"Is quī docet magister est"

Quid agit discipulus? Is discit.  
Nam discipulus est is quī discit.  
Quōmodo discipulī discunt? Alius  
legit, alius scrībit, alius... studēre  
nōn vult...

Ego lego.

Ego scrībo.

At ego lūdo,  
nam studēre  
molestum est.



Agrippīna! Quid agis? Nōne discere vīs?  
Puella quae nōn studet prava discipula est!  
Sī puellae nōn student, ignārae semper sunt!

Sed magister, scrībere difficile  
est, legere molestum est! Nōne  
licet vīvere sine cōdicibus?  
Studēre nōlo. Magis placet  
lūdere!



Hominēs discimus.  
Bestiae nihil discunt.  
Nōs studēre  
dēbēmus



Tunc Claudia quaerit:

Philippe, semper cum  
cōdice sedēre nōn facile  
est. Nōne licet simul  
studēre atque lūdere?



Magister respondēre vult, sed in dubiō  
est ...

Oportet et lūdere et studēre!  
Sed magna semper difficilia sunt.  
Nihil magnum fīt  
sine studiō ...

